

Kreis  
Varendorf  
S. 180

1236 (1235) Februar 22. Köln.

[1 180

Defan Wenmar von St. Cunibert in Köln beurkundet in einem Streit zwischen Kloster Altenberg und Pfarrer Wenmar von Gütterzwick die Freiheiten der Kapelle zu Eppinghoven gemäß einem Weistum des letzteren.

Wemmarus Dei gratia decanus beati Cuniberti Coloniensis omnibus hoc scriptum inspecturis in Domino salutem. Noveritis universi, quod, cum dominus abbas et conventus monasterii de Veteri Monte Cisterciensis ordinis sacerdotem Wenmarum de Goterswick super libertatibus cappellae de Eppinhaven coram nobis traxissent in causam, idem sacerdos confessus est et recognovit, quod abbas et conventus praedicti monasterii instituire debeant virum idoneum et discretum in praenominata cappella, qui in ea cotidie divinum debeat officium celebrare, et quod homines in terminis eiusdem cappellae manentes per totum [annum] possint officium divinum audire, praeterquam in tribus principalibus solempnitatibus anni, videlicet in Nativitate Domini, Pasche et Penthecostes, in quibus ad ecclesiam parrochiam venire debent, exceptis hominibus manentibus in alodio praefati monasterii, familia dominorum et custodibus domorum, qui in ea cappella ipsa debent et possunt secundum obtentam consuetudinem ab antiquo divinum officium audire et communicare. Recognovit etiam idem sacerdos, quod homines in alodio praedicti monasterii manentes possunt in cappella licite sepeliri et per totum annum memoria eorum potest celebrari in septimis, tricesimo et eorum anniversario. Similiter fieri poterit de omnibus iam sepultis ibidem et quibuscumque de licentia sacerdotis parrochialis ibidem de cetero sepeliendis. Sed parrochialis sacerdos in depositione cuiuslibet defuncti primam missam, si voluerit, celebrabit et oblationes recipiet. Preterea sacerdos parrochialis in tribus diebus in anno, quibus solemnis agatur animarum memoria, in cappella dicta celebrabit et oblationes fidelium recipiet vel, si voluerit, pro oblationibus maldrum siliginis recipiet. Predictas omnes has libertates confessus est idem sacerdos ab antiquo observatas. Acta sunt haec anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXXV<sup>o</sup> nono kalendas Marci, Coloniae apud ecclesiam sancti Cuniberti.

Paläographische Abschr. des 16. Jhdts.: auf demselben Blatte von derselben Hand eine niederdeutsche Übersetzung. Nr. 67. — Gleiche Überlieferung im St.-A. Düsseldorf, Altenberg Nr. 55.